

scē civitatis hominem quatuor & sexaginta annos natum, 1502
qui aliquando rempublicam attigisset, tam æquam, tam
etiam necessariam rogationem, quam Senatus ipse frequens
probavisset, esse impugnaturum. Quanquam fuere qui di-
cerent, quoniam Minius ad senectutem sine ulla dignitate
pervenerit, semel tantum anno superiore in magistratu ado-
lescentulis mandari solito fuerit, id illum cogitavisse, si
causam tenuiorum civium suscepisset, qui stipendio munerum
reipublicæ fraudari se magnopere indignantur, fore ut fa-
vorem sibi atque suffragia illorum ad magistratus adipi-
scendos conciliaret. quod quidem ego, ut reliqua, falso
esse facile putavi: vos, qui melius hæc cognoscitis, quid
sibi is hoc suscepto negotio voluerit, vobis cum reputatote.
Tu vero Mini, solus ne es omnium, qui, quo impliciti
bello duos jam annos versemur, quantas in eo impensis
fecerimus, quantas facere necesse sit, quibus in difficulta-
tibus cogendæ pecuniae dies totos solicii noctes insomnes con-
ficiamus, ut hoc imperium ab hoste omnium acerrimo tue-
amur, nescias? remigum, militum, præfectorum navium
nostrarum, quos innumeros alimus, stipendia immane auri
pondus requirunt. in arcum & oppidorum præsidiis mul-
tum pecuniae insumitur. navalia urbana tot classibus ex-
hausta, magni æris singulis mensibus indigent, ut naves,
ut tormenta, ut reliqua, quæ bello usui sunt, nostris im-
peratoribus subministrent. Regi Pannoniae, ut cum nostris
hostibus bellum gerat, mille auri libræ ternis curationibus
sunt ex foedere quotannis dependendæ. his tot atque tantis
impensis pecunia suppeditari qui potest? Cives enim nostri,
tributis innumerabilibus persolutis, amplius quod tribuant,
non habent. Provinciales, nova pecunia imperata, agris-
que suis præter morem censur addictis, conqueruntur: ne-
que quidquam, nisi coacti, fortunisque suis divenditis, in
ærarium conferunt. Vectigalia reipublicæ portoriis propter
bellum impeditis anguste redimuntur. mercatores nostri ad
exteras nationes, exteri ad nos mari commeare non per-
mittuntur. Itaque nisi nos, quorum maxime interest, qui-
bus possumus rationibus reipublicæ belli fluctibus jactatæ